Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ordinis
1675 d. 6 mensis Aprilis




Zeleński Lucae Alberti: Floridus Hesperidum fasciculus ex amoenissimis vernantis naturae primitiis collectus virtuti et honori VV. DD. VI. primae laureae Candidatorum — dedicatus.

FLORIDVS
Heſperidum Faſciculus,
Ex amœniſſimis Vernantis Naturæ Primitijs
COLLECTVS,
Virtuti & Honori,
VV. DD. VI. Primæ Laureæ Candidatorũ,
DVM
In Alma Vniuerſitate Cracouienſi,
PER
Excellentiſsimum, ac Doctiſsimum Dominum,
M. FRANCISCVM
KACZOROWICZ,
Philoſophiæ Doctorem, Collegam Minorem,
IN
Magno Illuſtrium Hoſpitum, & Academici Senatûs concurſu,
Prima in Artibus, & Philoſophia Laureâ,
RITV SOLENNI,
INSIGNIRENTVR;
Amoris, & Gratulationis ergo,
A
LVCA ALBERTO
DE ZELANKA
ZELENSKI,
Eiuſdem Laureæ Candidato,
DEDICATVS.

Anno Salutis, M DC LXXV. Menſis Aprilis, Die VI.

Cracouiæ, Typis Vniuerſitatis.

IN STEMMA, PERAVGVSTI CAPITVLI CRACOVIENSIS.



Terna Peraugusti radiant diademata cætus,
Fulgida tot gemmis, quot pretiosa Viris.
Regales animos, insignia Regia nempe,
Atq; coronati cingit Honoris apex.
Augusto Regum Capiti, satis vna corona,
Sacrorum Reges, terna Corona decet.



PERILLVSTRIBVS, REVERENDISSIMIS, *ADMODVM REVERENDIS DOMINIS,* D.D. PRÆLATIS, ET CANONICIS, PERAVGVSTI CAPITVLI; ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOVIENSIS,

D.D. Patronis, ac Benefactoribus Munificentissimis.



Mœnam Orbis temperiem, restitutum naturæ decus vt coronet, aura Cæli clementior poscit; vigorem suum, decora ingenia vt recipiant, ad eruditos honores spectat. PERILLVSTRES, *ac* REVERENDISSIMI DOMINI. *Non decet quippè, cum bonis literis, inclementiùs agi, quàm cum naturæ dotibus; quas cum sole nouo, caloreq; benigno excitari videmus; animorum vegetari Spiritus, & ornamenta reflorescere debere, an non ex decoro Sapientiæ conueniens est? Aperit naturæ sinum, & in Orbis coronamenta soluit, fons ille lucis; qui cuncta permeat & refouet: punctumq; illud Zodiaci, quod accessu recessuuè suo indigitat; fomentum vitæ, aut rerum vigoris decrementum habetur. Bonas quoq; literas vegetat, clarum illud, & limpidum decus; quod ex honore publico venit: nec aliud vitale magis, ad doctrinæ stimulos, quàm punctum honoris est. Prodimus ab hoc bonarum mentium fomento, noua in lucem publicam germina; Iagelonicæ Palladis manu, in fasciculum collecta; ex eo viretorum genere, de quo Poëta canit:*

Aureaq; Hesperijs nituerunt lilia campis;

Cùm Sapientiæ interslt, ne aurei Hesperidum horti, profana veteris æui inuenta tantùm; & non eruditi quoq; honoris patrimonia sint. Nasci tamen, & florescere, etiam inter partus Hesperidum aureos, parùm est; nisi lucem publicam ferre, & maturescere liceat; quod sola Magnorum Nominum protectio facit. Ad Coronas proinde Vestras, PERILLVSTRES, *ac* REVERENDISSIMI DOMINI, *ceu ad augustum eximiæ protectionis Sacrarium, Primitiarum Palladis* FASCICVLVS *hic, Pronus vel ideò fertur; vt intra tanti Splendoris iubar, plenâ luce frui, Soleq; non alio maturescere discat. Debetur certè, quidquid ex Literato prouentu selectissimum est, honori*

Vestrô; cui nunquàm bonæ literæ, intantùm adlaborabunt, vt par aliquid ex gratiarum debito soluant. Præcelsus quippè apex hic Vester, coronato Regum Poloniæ Vauelo eminens, cùm Sanctitate, innocentiâ, Zelo, & exemplo, Ecclesiasticæ dignitatis, & omnis gloriæ, Spectatissimum fastigium teneat; tum illud eminentissimum habet; quod Sapientiæ studium, & authoritate summâ tueri, & incredibili munificentiâ promouere, non desinit vnquam. Cimmeliarchion quidem Polonum, intra CORONAS *Vestras situm est, adeo; vt nullum omninò ex pretiosis Ecclesiæ, & Patriæ Monilibus, depositum sit; quod Sacer hic* CORONARVM *Ternio, non ambiat: qui cælum tot Diuinis Indigetibus, Ecclesiam tot tiaris, Senatum tot curulibus, Orbem deniq; tantò sui, splendore impleuit: Sed nec in Coronis Sapientiæ inclaruit quidquam, quod hîc aut erudita Virtus non intulerit, aut non extulerit beneficentia. Augustum hîc Capitolium, Compendio gloriæ suæ Polonia fecit, Sapientia oraculum inuenit; cuius aureum tripodem, non alibi, quàm inter* CORONAS *Vestras esse decuit. Vtinam verò, tantùm oracula Eloquentiæ possent, inquantùm hîc celsitudo Omnis gloriæ assurrexit; Cui triplex Diadema creditum, palàm ostendit; Sacrum hunc verticem, Regali Sacerdotio tam præesse; quàm coronata Regum capita, cæteris mortalium præstant: eò tamen Omnis æui conatus, curas eruditorum selectiores vrgere non desinet; vt cùm Peraugustum hoc Capitulum, in quo princeps in Regno Illustrium Stirpium Sanguis, Sanctimoniæ, & pietatis domicilium, authoritatis Ecclesiasticæ norma & amussis, tiararum Pontificalium Sedes, & gaza perennis, summâ luce refulget, grato ad posteros obsequio transmittent; incomparabili eius in Alumnos Palladis munificentiæ, Laurus, & coronas omnes submittant. Agit hoc iam, profundæ Venerationis Symbolo, Fasciculus hic meus; qui se Peraugustis* CORONIS *Vestris, pronus, & acclinis submittit: admittiq;, intra Sacrarium amplissimæ gratiæ, & protectionis, ita exoptat; vt ex his Musarum Primitijs, ad omnem deinceps eruditæ gloriæ pulchritudinem efflorescat. Regius quippè splendor iste est, qui ex triplici Diademate Vestro promicat; adeò Regiæ Palladis Musis amicus; vt nunquàm coronatæ magis incedant; quàm cùm eas, fulgur istud circumstat, quod à Vestra summa gloria venit; Parnassumq; omnem, Magno in literas, & literatos affectu coronat. Intra coronamenta hæc recipi, flos ipse gratiarum est; cùm Diadematis Vestri felix ternio, aureus ille Hesperidum hortus sit; intra quem, quidquid clauditur, ab aureo æuo descendit, victuræq; gloriæ fontem perpetuum habet. Ab hoc vitali fonte, vt tenella quoq; germina hæc mea assurgant, solemq; suum, & fauentes etesias habeant; Fasciculum hunc meum, Peraugustis Nominibus Vestris insignio, lucis publicæ securum, cùm eum ambiat tot coronarum Maiestas. Quæ vt Ecclesiæ* DEI, *Orbiq; Polono, Sacris æternùm splendoribus coruscet, dum vota Immortali* DEO *facio; tantorum Nominum Honori, & immortalitati deuinctus, si in Fasciculum perpetui cultûs concessero, felicitatis meæ coronidem putabo.*

Vestrarum Perillustrium,

Reuerendißimarum,

Admodùm R. R. Dominationum,

humillimus cultor, & cliens,

LVCAS ALBERTVS de Zelanka,

ZELENSKI,

Primæ Laureæ Candidatus.

D. IOANNI CANTIO,
Regni Poloniæ, & Academiæ,
PATRONO.
In argumentum Deuoti Cultûs,

Sacer ex Omni florum Coronamento, ad Aras Fasciculus, cum Lemmate;

Vt Beatis Honoribus vernet.

FLORIDAS quando nouus Ordo rerum
Explicat dotes, tepidique Veris
Sole fœcundo, genium liquentem
Lenè resoluit;
Colligit pulchrum Iagielona Pallas
Germen, & dextræ niuibus pudicæ
Purpuram miscet, roseoque florum
Murice flagrat;
Ridet ex culto Peripatus horto,
Dona nec priscis celebrata seclis,
Nec tuas auro radiasse plantas,
Hespere curat.
Quidquid augustis operum ruinis,
Fama iam toto sepeliuit Orbe,
Docta, quæ cultu viret æuiterno,
Gratia vincit.
Sed tuis constat, Pater Alme curis,
Atticam quidquid sapit hîc, & Hyblam;
Laureis à Te decus omne nostris,
Præside surgit.
Aura Tu nobis, Zephyrique Lenis
Spiritus; cælo placideque flantes
Gratiæ, tecum quoties feruntur,
Omnia vernant.
Nullus in flores roseos, Adonis
Pulchriùs cessit; nec amica Phœbo
Indoles, tantis Hyacinthus vnquam
Ignibus arsit;
Diue, Cælesti prout excitamur
Nos tuo cultu, redeunte veris
Gratiâ, dum Tu Sobolem Togatam
Prouehis Orbi.
Aureus florum proin iste Nexus,
Busta circumdat tua; dum Beatos
Iam tibi Sedes Vaticana, Diuûm
Spondet Honores.

Clarißimis, & Excellentißimis Dominis,

D.D. EXAMINATORIBVS,

Clarißimo, & Admodùm Reuerendo Domino,

D.M. IOANNI MICHALSKI,

Collegæ Maiori, Regio Professori, ad S. Annam Canonico, ac interea Philosophicæ Facultatis

D E C A N O.

Clarißimo, & Admodùm Reuerendo Domino,

D.M. IACOBO BALTAZAROWICZ,

Collegæ Maiori, Tradnouiano Professori,

S. ANNÆ CANONICO.

Excellentißimo, ac Doctißimo Domino,

D.M. ANDREÆ KROWICKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori,

SYNDICO VNIVERSITATIS.

In Signum debitæ Gratitudinis,

Purpureus ex Aramantho Gratiarum Nexus, cum Epigraphe;

Sapientûm Gloria Viuax.

CESSISSE Fatis omnia, quæ vices
Mortalitatis, damnaq; sentiunt,
Iussêre Diui: Sola victrix,
Tempus edax, senioq; fracti
Triumphat Orbis dedecus, & graues
Rugas, & effetos Sapientia
Excedit annos: quippe Sacris
Ignibus, hæc animata viuit
Diuinitatis portio; quam nefas,
Humana lapsu deciduo, pati
Momenta: Sed fas est perennis,
Æthereum genus eminere.

In an-

In auge vitæ: pectora marceant
Damnata Pyrrhæ pondere Saxeo,
Scintilla quêis nulla est Promethêi,
Ex animo Sapiente ducta;
Perennet Orbi, totaq; floreat
Mens vestra viuax, ô Sapientiæ
Selecta præstanti Senatu
Corda virûm! quibus erudito
Censu tenemur, promeritas fide,
Curisq; tantis, soluere gratias,
Stoæq; Primores Togatæ,
Perpetuo celebrare cultu.
Coronet in Te Purpureus decor,
Binis, MICHALSKI, *Nomen Honoribus*
Insigne, quod Matura virtus,
Emerito geminauit ostro,
In Te Sophorum Præside; quem grauis,
Et digna tanto pectore, celsiùs
Doctrina sublimare poscit,
Tot Meritis, Cathedrisq; functum.
Circumdat & Te gloria non minor,
Virtute quam Tu Magnanimâ diu,
Mereris ô BALTAZAROVI,
Iamq; Sacræ gradibus Cathedræ
Felix propinquas; quam tribuant Tibi
Cœli fauentes. Iustinianeum
Sed ad Tribunal, destinatos
Diua Themis Tibi fert Honores;
Quos fida, rebus Mens Academicis,
Vsuq; pollens continuo, Tibi
Spondet KROWICKI. *Purpurato,*
Ergo rubens Amaranthus ostro;
Iam vestra cingat Nomina, iam Rosis
Vos gratiarum suauior ambiat
Procella; quos augusta virtus,
Et Sapiens animus coronat.

FLORIDVS HESPERIDVM FASCICVLVS.

II. V.D. IOANNI KRZESZ.

Flos eximius roſæ Præneſtinæ, cum Lemmmate;

Vt Roſas Suada loquatur.

FLORIBVS ex varijs, quorum Saturnia tellus
Heſperidum fœcunda ſinu, pulcherrima quondam
Ornamenta tulit, flos Te lectiſsimus, inter
Delicias veris, Phœbeo munere poſcit;
Cûi Patriam Præneſte dedit, roſeique pudoris
Immortale decus, nimirum ſuada quod in Te
Formauit Specimen, roſeis fulgoribus ardet;
Reſpondetque genis, latè ſpectata pudicis
Indolis egregiæ virtus; quam nomine grato
Lublini natale ſolum, cum pignore ſignat;
Felicis tecum Patriæ, cûi prima Iuuentæ,
Atque viris dilecta probis inſignia debes.
Inde Tibi fandi vis, & mellita facultas,
Oſque coronatis florens, & Nobile dictis;
Quo trahis, & mulces animos, lateque triumphas,
Craciaco quoties placet exultare Lyceo,
Ex roſtrisq; loqui; flos ergo viue decorus,
Faſciculumque Tuum, Magnâ Virtute corona;
Dumque bonas artes ſequeris, fac care IOANNES,
Laurus vt hæc tecum, Medico ſuccreſcat Honori.

III. V.D. ALBERTO MARTINO BRATVSZOWSKI.

Flos roſæ Campanæ Venuſtiſsimus, cum Lemmate;

Sic dicendo floreſce.

AMœna pratis ora virentibus
Campana, cæli propitios tulit,
Plenosq; terrarum fauores,
Puniceos per Aprica Nimbos,
Et mille florum delicias ferens.
Hæc illa Pænos ſoluit Acinaces,
Fregitq; robur Martiale;
Dum Lybicis domitas ab armis.

Concussit Alpes; dum vetus artifex
Bellacis usus, ferrea pectorum
Momenta, Campanis remisit
Delicijs, placidaq; victor
Cessit quieti. Sed Tibi florido
Mens, BRATVSZOWSKI, *munere, celsius*
Assurget inuitata. quippe
Eloquio Tibi flos diserto,
Suadam coronat. sedula nec deest,
Viuaxq; culti pectoris indoles;
Quæ te coronatum, secundis
Ad Cathedram iubet ire votis.

IV. V.D. IACOBO GREGLICIO,

Apollinis flos Castalius, cum Epigraphe;

Phœbo, & Musis placuisti.

PVlchra Musarum sequitur venustas,
Fontibus Sacris, vitreasque Cirrhæ
Nata cis Lymphas, vbi docta manat
Castalis vnda.
Hîc tibi florum decus, eleganti
Vernat ornatu, niueique lactis
Candidas dotes, per amœna Phœbi
Explicat arua.
Nempe dilectæ tibi sunt Camenæ
GREGLICI, quarum Cytharæ potestas,
Dulce formauit tibi pectus, inter
Barbita Phœbi.
Hoc ebur tanges, numeroque vatum
Inseres Nomen; quod ab erudito
Palladis cultu, meruit virentes
Ferre Corymbos.
GREGLICÎI Præstans imitare Nomen,
Nosse cûi linguas Oriente toto
Roma concessit; memoranda sic te
Fama loquetur.

V. V.D. ANDREÆ DOMINICO WEGLINSKI,

Flos rosæ Centifoliæ, cum Lemmate;

Facundis ampla poteſtas.

INter flexanimæ Nomina gloriæ
Cenſeri, decus eſt ingenio pari
Quærendum. Sapiens Suada per obuios
Cultus ſurgere reſpuit.
Munus dulciflui grande negotium
Oratoris habet; vis ea pectorum
Victrix, non humili flamine tollitur;
Ingens Spiritus entheet
In roſtris opus eſt pectora, queîs ſtupor
Debetur Populi, ſummaq; gratia.
Felici ingenio, quam ſequeris tuo
WEGLINSKI; *ſuper exedras*
Dum victura petis Nomina Rhetorum,
Præſtanti ſtudio. Sic tibi floridum,
Centenisq; rubens in folijs Decus,
Docto munere pendimus.
Suadæ Multiplices copia gratias
In te ſic referet; ſic benè conditi,
Iunctas laurigeris victor honoribus,
Palmas Eloquij feres.

VI. V.D. ALBERTO PETRO, WOLSKI,

{Purpureus Floris Mileſij rubor, cum Epigraphe;

Thaletis Patriam Sapit.

MIleſij cum te, gratiſsima Purpura floris
Ambit, honorato vertice tota rubens,
Iſta verecundis reſpondet dotibus in te;
Concolor eſt animi, gratia nempe tui.
Sed Miletus ei natalis gloria terræ,
Quæris ab exotico quid tibi ſole ferat?
Hoc Natale ſolum, magno Thalete refulſit,
Et fuerat tanto Patria digna viro:
Ille Sophûm veteris flos, & lux aurea ſeclî,
Siderêa felix cognitione poli,
Ex animo dilexit opus, quod ſumma poteſtas,
Stellarum ignitas, iuſsit habere faces;

Perque

Perq; vices tantas, certo discurrere motu,
Distinctisq; Orbi tempora ferre modis.
Ista Mathematicæ præstans doctrina Palæstræ,
Magnorumq; simul, Nobile dogma Sophûm,
Te quoq; Palladio delectat munere, WOLSKI;
Ardua nempe solet, Mens Generosa sequi,
Hoc age constanti studio, vt Diuina Mathesis
Sit Decus, & Capitis pulchra Corona tui.

I. V. D. LVCÆ ALBERTO
De Zelanka
ZELENSKI,

Primæ Laureæ CANDIDATO, Authori Operis,
In signum Mutui affectûs, & gratulatorij applausûs,
Coronã ex Lauru, Hesperijs floribus intertextam, Cum Lemmate;
Nobilior ex Vtroq;.

ANDREAS DOMINICVS WEGLINSKI,
Eiusdem Laureæ Candidatus, Offert, dicatq;.

ASSVRGE Vates, tota Viuentibus
Te poscit hortis, Hesperidûm Cohors,
Coniuncta Musis. tu ne florum
Delicijs, roseoq; Censu
Hyblæ Carebis? grandine floridâ
Qui nos beâsti. tot Capitum super
Laurus Togatas, mille spargens
Veris Opes, & amica Phœbo
Roseta: sed tu pulchrior omnium
Flos es, decori Stemmate Sanguinis,
Ortuq; Maiorum ZELENSKI,
Vnde Tibi generosus ardor
Sitisq; honesti; quæ Tibi Lauream,
Sat Liberali quæsijt indole;
Dabitq; progressus Secundos
Ad Themidem, geminiq; sacra
Arcana Iuris; quò tua nobile,
Aptumq; pectus iudicio graui,
Vis mentis vrget. perge felix
Palladium decus altiori
Formare curâ, & surgere Celsius;
Doctrina ceris nobilibus dabit,
Lucis coronatæ, perennem
Iusque Tuam geminabit augem.

S V B

FELICIBVS AVSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reuerendi Domini,

M. SIMONIS MAKOWSKI,

Sacræ Theologiæ Profeſſoris, Collegæ Maioris, Eccleſiæ Collegiatæ, S. Floriani Canonici, S. R. M. Secretarij, Almæ Vniuerſitatis Academiæ Crac: Generalis, & Vigilantiſsimi

RECTORIS.

